



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Monita data, seruanda in ipso ingressu in Nouitiatu[m], & te[m]pore
Nouitiatus, ac reliquis vitæ religiosæ annis. Cap. XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

eius amor, & dum vobis magis ac magis placebunt res huius Ordinis, & dum in vobis crescet læticia de felici rerum eius successu, & desiderium ardens proficiendi in virtute, sine quo parum proficietis vel nihil, & quando vobis placebunt cruce.

XV. Post quilibet confessione hebdomadariam, unum aliquod peccatum ex his quæ tunc confessi estis, seligite, & diuino innocato auxilio, statuite apud vos, totâ sequenti hebdomadâ ad proximam confessionem nunquam illud committere. Idem facite post confessionem generalem semestrem, proponendo perpetuò abstineri per reliquos sex menses à certo aliquo peccato antea à vobis admitti solito. Seligite autem illud peccatum, quod in vobis ceteris grauius & magis periculosum, hoc est, magis vos disponens ad aliquod peccatum mortale (quod ablit) in religione committendum. Et hoc sit vobis maximè cordi & tanquam fundamentum vitæ spiritualis, vt diminuat peccatorum numerum. Quò enim erit purior vestra anima, eò plura & maiora percipiet dona celestia.

XVI. Inter alia bona, totâ vitâ vestrâ duratura, hoc quoque in Nouiciatu acquirite cum Diuinâ gratiâ, vt nihil vnquam particulare pro vobis, (quo ad officia, occupationes, habitationes, gradus in Societate) expetatis, nec queratis, & si quod amor proprius vester expetet, non allequemini, non feratis ægrè, quin potius optetis totâ vitâ vestrâ viuere in Societate sine vilo officio, & gradu, & loco specioso, vt vos Christo Domino & Apostolis eius conformemini, qui vixerunt in glorij & pleni molestis, & omnium perisplema. Hæc sæpè telegite.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Monita data, seruanda in ipso ingressu in Nouiciatum, & tempore Nouiciatus, ac reliquis vitæ religiosa annis.

Monita eidem adolescenti data, cui fuere data alia posita primo loco cap. 23.

I. Postquam ad Nouiciatum veneris, Superiorem & Magistrum Nouitiorum flexis genibus, nullo adstantium habito respectu, saluta, & ab his tanquam filius prodigus in numerum Sanctorum & Filiorum Dei te suscipi roga, indignum te iudicans, qui vt canis inter Dei seruos, vel vt diabolus inter Dei filios habites. Denique benedictionem ab utroque pete, vt possis in domo Dei, secundum cor Dei, & Societatis spiritum, viuere.

II. Cum nullo, Nouitiatu tempore, etiam ceteris denotiore, peculiarem in eas familiaritatem, sed omnes amore sancto & fraterno tanquam vnus Matris filios fideles, amplecte-

re. Libentius tamen & frequentius tempore ab Obedientiâ præscripto, licebit conuersari cum iis, à quibus magis videbis seruari Regulas, & quos rebus spiritualibus magis addictos agnoueris.

III. Trium potissimum habebis rationem: Vt in primis statim exercitiis resoluas te ad sanctitatem omnem possibilem sectandam, cuius fundamentum esse scias, raro peccare venialiter, etiam indeliberatè. 2. Vt singula Nouitiatu opera eo cum seruire facias & diligentia, quâ tunc faceres, si immediatè post opus factum deberes mori. 3. Desideres pati quàm plurima, præsertim quæ confusionem & humiliationem pariunt: & dum aduersa contingunt, tace, noli conuerti, sed potius reputa diè felicem, quâ aliquid pateris.

IV. Lectionem spiritualem summè cordi habeas, maximè vitas Sanctorum è tuo Ordine, à quibus viuendi normam à teneris, primis Religionis annis pro totâ vitâ reliquâ sumas necesse est.

V. Frequenter te toto Nouitiatu tempore coram Deo humiliâ, indignum te reputans tuâ vocatione, & tempus valdè timeas, ne Deo sis infidelis. Quare sæpè eius auxilia implora.

VI. Hoc habe pro principio infallibili, ne vnquam violes silentium: proderit enim tibi hoc ad magnos cum virtute progressus, impossibile enim est (seclusis Dei Priuilegiis) sine rigidâ silentij obseruantia ad sanctitatem à Regulis præscriptam peruenire.

VII. Omnes partes temporis, etiam, quantum possibile est, integrantes, benè colloca sine vilo otio, faciendo exactè omnia quæ in Nouiciatu præscribuntur, ad quod inuabit, si Diarium tibi confeceris, secundum quod, cum Magistro Nouitiorum collatum, omnia incipias & finias.

VIII. Omnem fuge tristitiam, vt & nimiam lætiam, sed semper moderatè lætus & hilaris esto, sic enim minus tentaberis.

IX. Candorem erga Magistrum Nouitiorum semper retine, omnes ei difficultates & dubia confidenter & sincerè aperiendo, vt & necessitates corporis, quemadmodum filius parenti.

X. In laboribus, (rebus præsertim portandis grauioribus) attende, ne præ inordinato seruire sanitate lædas. Idem est de frigore nimio ob defectum vestitus necessarij. Recurre ad Superiorem tanquam ad Matrem, nec premas vnquam silentio ea quibus verè indiges.

Monita data cuidam Nouitio Societatis Iesu, non pridem conuerso ad S. Fidem Catholicam, Anno 1631. aliquandiu manenti in Nouiciatu.

I. Frequenter gratias age Domino Deo pro beneficio Conuersionis ad S. Fidem, &

vocationis ad hunc sanctum Ordinem. Tempora autem pro his gratis agendis hæc sint fixa; Tempore Meditationis matutinæ & vespertinæ, & Missæ, maxime post Eleuationem, & Examinis matutini, & vespertini.

II. Hoc sit tanquam præcipuum fundamentum vitæ spiritualis, vt fugias omni conatu omne peccatum. Itaque nunquam præbeas consensum ad vllum peccatum mortale; imò nec peccatum veniale vnquam committas cum plenâ aduertentiâ rationis, seu, vt appellant, deliberatum. Præterea, peccata in deliberata venialia nunquam graua, leuia verò quàm paucissima & rarissime committas. Commissa verò quàm citissime expies dolore interno, postulatione veniæ à Deo, actibus charitatis erga Deum, & suo tempore sincerâ Confessione Sacramentali, & aliis piis operibus.

III. Da operam, vt quicquid facis, facias bono fine & modo, hoc est, vt omnia opera & singula facias propter Deum, nullum alium finem spectando, & singula facias tali modo, qualis præferibitur vel à Regulis, vel à tuis Superioribus, & à propriæ conscientiæ lumine, dummodò sit conforme directioni Superiorum tuorum.

IV. Da operam, vt opera ordinaria quæ facis, facias cum magno affectu & feruore erga Deum, ita enim & plurima merita congregabis, & acquires magnos habitus virtutum, & citius expiabis pœnas peccatis præteritis debitas, & tormentis Purgatorij grauissimis minus obnoxius eris.

V. Ita procede exterius, vt nihil in te possit iuste reprehendi. Proinde fuge amicitias particulares cum vno aut pauculis, sed in conuersatione sis indifferens ad omnes, & potius talium conuersationem expetas, qui apparent magis obseruantes Regularum, magis modesti & deuoti, magis spirituales, & magis sui contemptores.

VI. Cum Superioribus & Confessariis tuis sincerè procede, omnia tua peccata & tentationes ac difficultates & necessitates, & aliorum non adificatiua dicta aut facta, candidè manifestando.

VII. Dona voluntatem tuam & libertatem Deo plenè & integrè, vt nihil arbitrari tuo eligas aut detrectes, nec occupationem, nec locum habitationis, nec personam, nec quicquam aliud, sed in omnibus sequere determinationem Superiorum tuorum, ita enim securius saluaberis, & maiori pace frueris.

VIII. Cuncta, quæ vides & audis, in bonam partem interpretare, & excusa ea quoque quæ videntur minus recta, nec propter defectus externos, minue bonam opinionem tuam de tuo Ordine aut personis cum quibus conuersaris, siquidem & in Collegio Apostolico, tantum inter duodecim personas, grauiores fuerunt lapsus, non tantum Iudæ, sed & Petri & Thomæ,

sine præiudicio sanctitatis eximie Collegij Apostolici. Et in Ordine S. Francisci, eo viuente tanta improbitas in ipso Generali Ordinis Elia, quantam tu in nullo domesticorum tuorum videbis, & tamen tunc etiam Religio S. Francisci maximâ sanctitate florebat, & magnis Sanctis plena erat.

IX. Omnem tristitiam, quæ te reddit pusillanimum, & fiduciam filialem erga Deum immittit, tanquam periculosum hamum diaboli fuge; & dum te inuadit, eam coneris excludere, veloci recursum ad tuum Confessarium, & lectione alicuius libri spiritualis affectuosi, & consideratione Dei caritatis, qui te magis amat quàm tu te ipsum, & qui spargendo pro te sanguinem suum antequàm nascereris, te ipsa ostendit, quòd te illius valore sanctificare & saluare velit, dum hæc ex parte tuâ procurabis per tot media, quæ tibi Deus in Ecclesiâ & Ordine tuo dedit, promittit enim se neminem deserturum, qui eum quæret, nec eiecturum foras eum, qui ad se accederet.

X. Si vis, (vti velle debes) esse magnus Sanctus, per hæc media citò id infallibiliter assequeris. 1. Si quàm leuissimè & rarissimè peccaueris, & toto conatu abstinueris à transgressione minimarum Regularum, & omnes minimos defectus ac imperfectiones fugeris. 2. Si opera ordinaria, quæ omnes faciunt, ita accuratè feceris, vt conscientia te non remordeat alicuius negligentie circa illa. 3. Si patienter & libenter toleraueris ex amore Dei, omnia illa quæ displicent amori proprio, præsertim, quæ sunt contra iudicium tuum & voluntatem tuam & reputationem ac famam & honorem tuum, ac commoditates in cibo, potu, vestitu, lecto, cubiculo, & occupationibus laboriosis & vilibus. 4. Si peculiari quodam affectu sinceræ caritatis propter Deum persecutus fueris eos, qui te molestiâ aliquâ afficiunt, aut nimium exaggerant tuas imperfectiones, vel detractiones, vel in presentia aliorum perstringendo, contemnendo, inhonorando, & aliis modis similibus qui amori proprio displicent. 5. Si propter Deum fies tanquam iumentum quoddam, ita vt te sinas tractari à Superioribus & æqualibus, sine replica, pro libitu eorum, quoad occupationes, quoad loca mansionum, quoad personas cum quibus tibi agendum sit, & quoad omnia alia, ita vt per te nihil negligas aut detrectes. 6. Si habueris perpetuò ardens desiderium perfectionis & sanctitatis. 7. Si habueris tenerrimum amorem erga tuum Ordinem, & omnes res eius. 8. Si colloquia tua fuerint de rebus spiritualibus & bonis, ore Religioso dignis. 9. Lectio librorum affectuosorum spiritualium plurimum ad hoc conduceret, præcipue vitæ SS. Confessorum tui Ordinis, & aliorum. 10. Valdè in hoc promoueberis per conuersationem cum melioribus & magis spiri-

ritua-

ritualibus. 11. Iuabit etiam syncerus candor cum tuis Superioribus & Confessariis, non celando coram illis quicquam, non tantum peccata & imperfectiones; sed etiam tentationes, passionum inordinatarum, motus, difficultates in rebus spiritualibus, & alias necessitates tuas spirituales & temporales, dando operam, vt hæc omnia ita sint illis manifesta sicut sunt Deo & tibi nota.

XI. Omnes tuas deuotiones, vt sunt Meditatio, lectio, recreatio, ad hunc finem dirigas, vt voluntas tua accendatur ad odium cuiusuis imperfectionis, & ad studium alicuius virtutis.

XII. Assuesce singula opera tua supernaturaliter facere pure propter Deum, dicendo in principio, saltem mente, hæc vel similia verba: *Domine propter te volo surgere, vestire me, orare, comedere, bibere, natura necessitatibus satisfacere, venire, seruire ad mensam, &c. & hoc facere diligenter, & iuxta voluntatem tuam*; Ita vt non tantum offeras Deo actionem tuam quamlibet in particulari, sed etiam modum eam bene peragendi, idque non intuitu præmij cælestis (etsi id quoque licitum sit) sed pure propter Deum. Qui modus operandi est perfectior, & actus caritatis omnium virtutum præstantissimæ, quam Theologi vocant, *amorem beneuolentia*.

XIII. Da operam, vt pro peccatis præteritis & præsentibus ita plenè satisfacias, ne post mortem ad Purgatorium ire cogaris. Inter res verò satisfactorias hæc sunt præcipuæ. 1. Frequens dolor internus de peccatis commissis, saltem in genere apprehensus non descendendo ad particularia. 2. Carnis afflictiones per disciplinas, fignis discretum, muscarum & pulicum morsus non repressos, duram cubationem, sessionem sine fulcro, victum communem, parcum, sine vllâ singularitate, vilem vestitum, officia vilia & laboriosa discretè suscepta, abstinentiam à fricatione corporis tempore pruritûs, esum ciborum inspidorum, malè conditorum & sine sale, & his similia. 3. Victoria tui in rebus faciendis cum licentiâ Superiorum, à quibus abhorret natura & amor proprius, & in omittendis tuis vel in priuando te tuis, ad quos propendet amor proprius, vno verbo exacta obseruatio Regulæ 9. 10. 11. 12. 13. Summatij. 4. Oblatio singularum actionum supra explicata. 5. Tolerantia omnium rerum molestarum vel corpori, vel animo, vel amori proprio. 6. Super omnia verò magnus feruor in omnibus actionibus in Religione præscriptis, iis præsertim, quæ ad Dei cultum spectant, vt sunt oratio & Missa; quandoquidem; vt docet S. Thomas 3. p. q. 79. a. 8. ipsa SS. Eucharistia, & vt Sacramentum & vt Sacrificium est, quamuis sufficiat ad satisfactionem pro omni pœnâ, tamen non pro totâ pœnâ satisfacit offerentium, & eorum pro quibus offertur, sed secundum quantitatem eorum deuotionis & feruoris.

XIV. Cùm Deus sit bonum infinitum, & nos innumeris beneficiis affecerit & afficiat, tolerando tot nostra peccata, & concedendo tam multa bona, & tam efficacia media nobis dederit, & dare non desinat ad nostram salutem & perfectionem, præsertim sanguinis proprii effusionem in Cruce, & infinita merita quæ congregauit in bonum nostrum, per vitam, Passionem & Mortem suam, & quæ nobis applicat tam sæpè per tot auxilia internæ gratiæ, præsertim per Sacramentum Eucharistiæ, mereatur hæc tam boni Domini Maiestas, vt illam redamemus & grati simus, ac proinde maximè in hac vitâ, & in aliâ glorificemus. Glorificatio autem hæc consistit in tribus.

1. Vt quàm maximè mundi simus ab omni peccato & imperfectione.

2. Vt quàm plurima & quàm perfectissima opera meritoria congregemus; bona quàm plurima perfectè faciendo, & res amoti proprio displicentes quàm maximas, patienter, libenter, & lætè tolerando.

3. Vt hæc duo etiam ab aliis & domesticis & externis, quantum per nos fieri poterit, ob maiorem Dei gloriam præstari curemus. Ideò omni industriâ labora, vt omnes temporis partes, quantum permittet humana fragilitas & status huius vitæ, expendas in actibus meritorijs, hoc est, sine peccato, & bono fine ac modo factis. Et in hoc imitare mercatores, vt non sis contentus qualicumque bonitate & lucro spiritali, sed coneris congregare actiones quàm maximè meritorias, quarum magnitudo meriti (ceteris paribus) desumitur & ex præstantiâ ac difficultate rei circa quam versantur, & ex præstantiâ finis ob quem fiunt, & ex magnitudine deuotionis & feruoris cum quo peraguntur.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

De signis boni Nouitij, & quid in Nouitiatu faciant, & facere debeant boni Nouitij, vt euadant postea boni religiosi.

Qui ad statum religiosum aspirant, vel immediatè ante ingressum in Religionem, vel postquam ingressi sunt, hæc perpendant, & feruent.

I. Nihil occultat bonus Nouitius & religiosus, nec occultum esse cupit suis Superioribus, quod vel ad eius, vel ad aliorum vtilitatem spirituales, vel morum emendationem aut correctionem pertinere possit.

II. Non fert agrè, si omnes eius defectus extra Confessionem agniti, Superioribus priuatum, & aliis etiam publicè manifestentur.

III. Equo animo fert omnes pœnitentias, quæ